



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

639. Qvæ beneficia Cardinales conferre possint jure ordinario.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

pta beneficia valide impetrantur ad obtinenda plurima beneficia) variis fraudibus præbeatur occasio, quibus obviandum, & cupiditas ad plura beneficia arcenda; adeoque talia rescripta benefi-

cialia tanquam odiosa maximè restringenda juxta e. 4. de præb. in 6. hincinquam, merito censendum expectativam illam posteriorem emanasse contra Pontificis intentionem, & omnino irritam esse.

## CAPUT SECUNDUM.

### De aliis Collatoribus inferioribus.

#### PARAGRAPHVS I.

#### De potestate Cardinalium in conferendis beneficiis.

*Questio 639. Quanam beneficia Cardinales conferre possint jure ordinario, hoc est, sine speciali indulto?*



**R**espondeo primò: Cardinales Episcopi jure ordinario, & sine speciali indulto & privilegio conferunt beneficia existentia & vacantia in eorum Episcopatus, intelligendo hoc de mensibus ordinariis. Si enim hanc potestatem habent Episcopi alii, cur non & illi? Paris. de rescriptis. l. 7. q. 12. nu. 5. & seq. Item beneficia existentia in Episcopatus, Abbatibus, Prioratibus, quos in commendam ex dispensatione Papæ & consuetudine, ut decentius vivant, habent jure ordinario, seu ratione illorum Episcopatum, Abbatiarum, & Prioratum conferunt; quia & in his jura Episcopalia exercent; ac proinde visitare, recipere quòque resignationes possunt. Paris. ibid. num. 22. Unde etiam, dum Cardinalis Episcopus providet in mensibus ordinariis, semper censetur providere auctoritate ordinariâ, non vigore indulti. Tond. in qq. benef. p. 2. c. 3. s. 5. n. 21. citans Rotam Decis. 444. num. 64. p. 5. recent. Tom. 2. Quinimò si Cardinalis diceret, se providere vigore indulti, tamen provifus ab eo, diceretur provifus ab Ordinario quò ad ea, quæ à potestate ordinaria dependent. Tond. ibid. nu. 21. Lott. l. 2. q. 10. n. 38. citans Gonz. gl. 24. num. 68. & Rot. in Cremon. Canonis. 26. Apr. 1624. Ac proinde locus esset dispositioni. c. 2. de concess. præb. & devolutioni, nimirum ad immediatum Superiorem Cardinalis tanquam Episcopi, si Cardinalis Episcopus non contulit intra sex menses. Tond. ibid. num. 21.

2. Respondeo secundò: Cardinales non Episcopi beneficia existentia in eorum titulis, seu Basilicis conferunt, non ex gratia seu privilegio particulari, sed de jure communi ac ordinario; cum Cardinales titulares in titulis suis sint Ordinarii, & tanquam Episcopi, juxta c. bis quis. de major. & obed. Paris. l. 7. q. 12. num. 9. citans quamplur. Card. de Luc. de benef. d. 21. num. 16. Lott. l. 2. q. 2. nu. 7. citans Germon. de indult. Card. s. tum ratione. num. 15. Barb. in collectan. ad cit. c. bis quis. nu. 2. & Abbatem ibid. num. 1. & 2. Quapropter in iisdem titulis destituere quòque possunt beneficiarios, recipere resignationes & c. quia jura Episcopalia in iis habent. Paris. l. c. Nihilominus jus hoc providendi in illis in tantum consecuti sunt ex speciali concessione Pa-

pæ, quatenus illi aliàs jus hoc tanquam Urbis Episcopo originaliter competit, ut eos magis alliceret ad residendum, & ne deserant Curiam Papæ, cui assistere debent. Lott. loc. cit. nu. 8. citans Germon. ubi ante. Unde etiam hac potestate conferendi privantur, si à Curia discedant, juxta reg. 7. cancell. Lott. ibid. Porro ex eo quòd jure ordinario beneficia illa conferant, infert Card. de Luca. loc. cit. num. 17. & 19. quòd, dum per regulam dictam ratione absentia illorum à titulis suis reservantur dicta beneficia, aliàs ad eorum collationem ordinariam spectantia, id fiat per speciem pœnæ (quam semper importare dicitur privatio juris quæ sit, & competentis) non autem per modum ademptionis vel modificationis gratiæ ac privilegi, adeoque absentia esse debeat talis, quæ speciem delicti redoleat. De ceterò præsentiam eorum non requiriveram, sed sufficere fictam, qualis est, dum absunt pro servitio Sedis Apostolicæ, vel occasione residendi in proprio Episcopatu, vel aliàs de licentia Papæ, secus ac contingit in Episcopis alternativâ mensium gaudetibus, tradit idem Cardin. Porro dum jure ordinario dicuntur conferre in mensibus reservatis, hoc ita accipiendum, non quòd fiat hoc citra omne privilegium (faciunt enim hoc vi exceptionis contenta in regula 8.) sed postquam præservati per hanc exceptionem conferunt de jure, quòd habuerunt seclusâ reservatione: Adeoque quòd hoc in sensu jus eorum sit ordinarium, id potius habent jure dictæ exceptionis, quam indultariæ concessiois, huic exceptioni superaddita. vide Card. de Luca. in sum. de benef. n. 23.

*Questio 640. An, quale, & quotuplex sit indultum Cardinalium conferendi beneficia?*

**R**espondeo ad primum: Cardinales omnes Rex speciali privilegio intuitu hujus supremæ dignitatis ipsis à Papa concessæ habent indultum circa collationem beneficiorum. Tond. loc. cit. n. 3. Paris. l. 7. q. 12. num. 23. de quo indulto specialem tractatum edidit Anastas. Germonius.

2. Respondeo ad secundum: horum indultorum duo sunt genera, alia ordinaria, alia extraordinaria. Ordinarium illud, quòd solet concedi Cardinalibus, qui jure ordinario beneficia conferre possunt; dum nimirum, ut dictum, obtinent Episcopatum aliqùe aut Abbatiam, et si eam habeant in commendam, vel aliàs speciali jure, privilegio, aut consuetudine legitimâ titulis beneficiorum suorum hanc potestatem annexam habent. Tond. loc. cit. num. 4. ubi ex Seraph. decis. 980. nu. 8. quòd Breve faciens mentionem de ordinariis Collatoribus, non solum intelligatur de Ordinario nativo, nempe Episcopo, sed etiam de quolibet collatore ordinario, adeoque indul-